

L.5. Thes. 7. p.66. *D.Phil. Lud. Hanneken* ex Th. de quaesitis nonnullis circa lapsum Angelorum §. 6. p. 12. seq. *D. Christ. Sonntag* Angelopoeia diuina ex Psalm. CIV, 4. Memb. 3. §. 1. seq. Secundus competit corporibus, quae quidem tota sunt in toto spacio, non vero tota in qualibet spaciiparte. Tertius denique modus ipsis communis est angelis, quippe qui propter naturalem essentiae suae finitudinem ita aliquod π° sibi definiunt, ut sint toti in toto ubi, et toti in qualibet parte ubi, vid. *Quensted.* System. l. c. p. 446. *B. Meisnerus* Phil. Sob. l. c. Q. 2. p. 587. seqq. *M. David Hollaz.* Exam Theol. Acroam. l. c. p. 561. seq. *Iob. Schützen* Appar. Bibl. Tom. I. p. 216. Haec autem Angelorum praesentia non in nuda tantum consistit operatione, prouti contendunt Cartesiani, sic enim ex illis *Christ. Wittichius* Theol. Pacif. §. CLXXV. *sunt ergo, inquit, Angeli in loco quandocunque operantur respectu istius operationis, et quando non operantur, sed tantum cogitant intra se, opus non habent loco.* Cum quo faciunt *Burmannus* in Synopsi Lib. I. cap. 54. §. 37. p. 358. *Claubergius* de Cogitatione DEI et nostri Exercitat. 66. §. 16. ut et *Antonius le Grand* in Institut Philosophiae P. III. cap. 7. n. XX. p. 195. et seq. sed sunt praesentes respectu suae essentiae vel substantiae, quod prob. (1.) quia in Epist. Iudae ψ . 6. Angeli dicuntur suum deseruisse domicilium, in corporibus assumptis apparuisse et per illa operationes edidisse, imo dicuntur venire, abire, descendere, transire Dan. VIII, 16. C. IX, 21. seq. Actor. XII, 7. Quis autem crederet, Angelos per meras saltem operationes suum deseruisse, aut etiam deferere potuisse domicilium? Quis crederet, Angelos certis se univisse corporibus, neque tamen per essentiam illis adfuisse? (2.) ex recta ratione, quae docet, Angelos ratione essentiae suae, ipsis etiam fatentibus Cartesianis, esse finitos, ergo vel in ubi definitiuo, vel circumscriptiuo, neque enim ubietas, tanquam entis affectio, ab ente potest separari, quia autem Angeli non sunt in ubi circumscriptiuo, ergo in ubi definitiuo. Accedit et (3.) si
An-